


2/98

IDIBVS IVNIIS

MCMXCVIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 123

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:  
Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard †  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam  
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
INTERNET:  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
Homepage:  
[http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor\\_varius](http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:  
Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard †  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner


Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:  
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann** publicity  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
INTERNET:  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
Homepage:  
[http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor\\_varius](http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius)

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!



Novistisne melodiam in pariete domus pictam, quam in hac imagine videtis? Est initium carminis celeberrimi Itali titulo 'O mi sol' (Italice: O sole mio). Nonne is cantus vobis quoque memoriam caloris, aestatis solisque affert et desiderium feriarum aestivarum et itinerum faciendorum in regiones meridianas, sive in Italiam, sive in Ticinensem Pagum (Helvetiae), sive in alias terras, excitat? Fortasse etiam illius tenoristae Itali, quem saepe illud carmen cantantem radiophono vel phonodiscis audivistis, cui nomen Lucianus Pavarotti, memores estis.

Tempus est fenestras clausas (in imagine!) aperire et solem in conclavia, in domum, in animos nostros et corda admittere!

Sed post praefationem longiorem libelli 1/98, qua creator RUMORIS

VARII, Udalricus Aeschlimann, multa et iucunda de eius ortu et vita naravit, nunc diutius somniis aestivis meis vos morari nolo.

Hoc unum addendum est: Per tres annos subnotationis pretium RUMORIS VARII non auximus. Hoc anno autem pretium paululum augere cogimur, quia non solum aestate, sole, aere, amore vivere et nutriri possumus, sed etiam paululum pecunia nobis opus est ad RUMOREM VARIUM edendum. Speramus vos nobis benevolentiam et fidem servaturos et RUMOREM VARIUM symbolas nobis mittentes (sine quibus libellus et noster et vester florere non posset!) adiuvarere perrecturos esse! Maximas vobis gratias agimus!

Ergo gaudeatis aestivo tempore et sole!

Valete!



Daniel Weissmann

## Proverbia Hispanica

*Ni bebas sin ver, ni firmes sin leer.*

Noli bibere, antequam vidisti, noli subscribere, antequam legisti.

\*

*Aceite y vino y amigo, antiguo.*

Oleum, vinum, amicus - quo vetustior, eo melior.

\*

*A quien mal vive, su miedo le sigue.*

Eum, qui male vivit, metus suus sequitur.

\*\*\*\*\*

*En cada sendero hay su atolladero.*

In omni semita lacuna aliqua est.

\*

*Amigo de todos, enemigo de nadie, y no fiar de ninguno.*

Omnium amicus, nullius inimicus, et nemini confidere.

\*

*Entre amigos verdaderos no se miran los dineros.*

Inter veros amicos pecunia non respicitur.

\*

*Errar por amar se ha de disculpar.*

Error amoris causa commissus est ignoscendus.

\*

*Ni sábado sin sol, ni moza sin amor, ni viejo sin dolor.*

Neque sabbato (dies Saturni) sine sole, neque puella sine amore, neque senex sine dolore.

\*

*El amor primero jamás se olvida; pepita le queda por toda la vida.*

Amor primus numquam memoriae excidit; quasi semen per totam vitam permanet.

\*\*\*\*\*

*Nuevo rey, nueva ley.*

Rex novus, nova lex.

\*

*Amor con amor se paga.*

Amor amore rependitur.

\*

*Huerto sin agua, casa sin tejado, mujer sin amor, y el marido descuidado, todo es malo.*

Hortus sine aqua, casa sine tecto, mulier sine amore, maritus neglegens, haec omnia sunt mala.

\*

*Más vale sudar que toser y tiritar.*

Est melius sudare quam tussire et frigore tremere.

\*

*Hablando se saben las cosas.*

Loquendo cum aliis res cognoscuntur.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## De iubilaeis hoc anno celebrandis

(Pars secunda, I)

### Quomodo constitutio Helvetica introducta sit, I

Francogallis Napoleone imperitante annis 1813° et 1815° ab exercitibus coalitis Austriacis, Russicis Germanisque plane devictis Europa tota iterum more novo instaurata est. Potentes, qui Vindobonam (Wien) convenerant, ut novum Europaeis civitatibus imponerent ordinem, congressu magno et longo disputaverunt, quo modo hoc fieret. Revolutionem, quantum fieri posset, ad irritum redigendam et inefficacem esse reddendam, quicumque congressui aderant, consenserunt. Ne subiecti umquam rerum inversionis cupidine caperentur, liga sancta, quae dicebatur, condita est, foedus quoddam inter principes tum potentissimos ictum. Cuius auctor erat Clemens von Metternich (1773-1859), tunc cancellarius imperii Austriaci atque post imperatorem ipsum Austriacus maximi momenti. Hoc congressu etiam res Helveticae tractatae sunt: Helvetia formam similem, quam ante Francogallos ingressos habuerat, iterum accepit, i.e. pagi

singuli in statum liberrimum redacti sunt, regimen centrale non iam erat nisi consilium commune, quod 'Tagsatzung' vocabatur, cui autem nulla potestas decernendi data est nisi una hac condicione, ut omnes pagi unanimiter in qualibet re consentirent.

Attamen non omnia paria erant ac antea: Pagi novi, qui ante annum 1798<sup>um</sup> ceteris pagis erant subiecti, nunc in libertate a Francogallis sibi data remanserunt. Qua de causa Berna non diutius regionem Valdensem (Waadt) neque Argoviam (Aargau) regebat. Pro quibus regionibus amissis congressus Vindobonensis Bernensibus luram tribuit, i.e. maiorem dioecesis Basileensis pristinae partem. Id autem donum, ut nos omnes bene scimus, mox iam donum Danaicum factum est!

Sed etiam in rebus interioribus pagi ad condiciones pristinas reverti non omnino poterant. Nobilibus, qui olim populum sua potestate gubernaverant, legati populi admittendi erant, ne urbes potentissimae, velut Berna Turicumve, diutius solae regerent, sed subiecti rus incolentes regimen etiam participarent. Re vera autem in his pagis urbanis tamen nobiles regimen obtinebant non aliter ac in pagis ruralibus, ubi nobilitas quaedam agrestis ceteris praeerat. Quae aetas *restauratio* vocatur, quia potentes res, quales fuerant ante Francogallos ingressos, restaurare studebant.

Memoria autem 'libertatis' a Francogallis olim illatae remansit. 'Liberales', qui dicebantur, oligarchiam nobilium tolerare non diutius in animo habebant. Ceterum Helvetia in viginti duos pagos independentes separata eis odio erat summo. Restituenda eis videbatur illa Helvetia a Francogallis creata una et individibilis. Denique ecclesiae potestatem, quam esse credebant, viribus intentis frangere studebant.

Anno 1830° Lutetiae Parisiorum revolutio iterum exarsit. Ludovicus rex XVIII<sup>us</sup> a populo fugatus et Philippo substitutus est, qui monarchia absoluta seposita monarchiam constitutionalem introduxit: Rex abhinc non secundum suam tantum voluntatem regere poterat, sed ratio ei reddenda erat populo, i.e. parlamento a populo suffragiis electo.

His vix acceptis liberales Helvetii statim res Helveticas pariter mutandas esse putantes comitia popularia convocaverunt et regimina pagorum nobilia acerrimis verbis sunt adhortati, ut quam celerrime e magistratibus recederent et potestatem populo redderent, i.e. parlamento more dicto electo. In pagis urbanis rerum mutatio tunc facta est: Nobiles, ne quae sanguinis gutta effunderetur, magistratibus exierunt. Tantum Lucernae

patricii regimen obtinere perrexerunt, quod ibi ei ipsi liberales facti erant. In pagis contra ruralibus catholicisque nihil mutatum est nisi in pago Suitensi (Schwyz), ubi exterioris partis incolae armis sumptis semipagum ipsius iuris creare volebant. Cum autem regimen Suitense nonnullas fecisset concessionem, animis iterum sedatis Suitiae separatio impediri potuit. Aliter res in pago Basileensi se habuerunt: Ibi regiones rurales urbis dominationem non iam toleraverunt et semipagum creaverunt.

Sic nova aetas coepit, quam historici *regenerationem* appellant, quia tum res a Francogallis anno 1798° introductae liberales regenerare studebant. Quibus autem inceptis parum frugiferis lites interiores ortae sunt haud neglegibiles: Helvetia in dies magis magisque fratrum discordia laborabat, quae denique non aliter soluta est nisi bello intestino.

Annis enim 1830<sup>is</sup> liberales victores non pagorum singulorum condiciones formare, sed etiam totius Helvetiae, ut iam diximus. Pecuniam et pondera unificanda, terminos intra Helvetiam abolendos, scholam et matrimonia res civiles neque ecclesiasticas tractanda esse censebant. Septem pagi liberales facti - inter quos Berna, Turicum, Lucerna -, Aquis Helveticis (Baden) decreverunt, ut sibi invicem auxilium ferrent, si quis eorum adpeteretur, utque ecclesiae potestatem frangerent imperitantes, ut, quid pastores (animarum) sacerdotesve in ecclesia praedicarent, prius a civitate inspectaretur quam praedicandum concederetur.

Talis iurum ecclesiae violatio flagrantissima Christifidelium, imprimis catholicorum, animos maxime commovit. Talem Helvetiam unificatam nullo modo optabant! In pago Lucernensi homines regimen execraverunt, sed constitutione anno 1830° creata interdictum erat, ne quid ante decennium mutari posset.

Eventus autem non iam frenandi erant: 1839° Turicenses regimen liberale evolverunt, propterea quod isti homines Davidem Strauss, theologum protestanticum nullo modo in Deum credentem professorem academicum Turicum arcessiverant. Anno 1840° Lucernensibus tandem constitutionem liberalem mutare licuit: constitutionem novam creaverunt, ecclesiae propitiam, sed nihilominus tota in Europa maxime democraticam, quod non modo populo parlamentum creare (et postea per quattuor annos silere) permittebat, sed populum ad quasdam quaestiones interrogandum invitabat (id, quod hodie in constitutione nostra Helvetica habemus, et quod *iniciativa et referendum* vocamus).

Liberales vero et radicales, qui erant liberalium acerrimi et vehementissimi, populi vocem audire nolebant - etsi pro populi iuribus pugnare se affirmabant! Odium in conservativos, i.e. eos, qui Helvetiae statum non vel parum modo mutandum esse censebant, ingens excitare studebant. Quam ad rem religio eis aptissima videbatur. Adhuc enim et conservativi et liberales apud catholicos et apud protestanticos inveniebantur. Si contingeret omnes protestanticos in partem liberalem trahere, victoria certa esset!

Qua de causa annis 1840<sup>is</sup> pugna vehementissima in ecclesiam catholicam, imprimis in ordines monasteriales, specialiter in societatem Iesu exarsit. Societas Iesu enim saeculo XVI° condita erat a sancto Ignatio Loyolensi, ut doctrina pura catholica totum per orbem divulgaretur, utque, quantum fieri posset, protestantici in ecclesiae catholicae gremium reducerentur. Itaque protestanticis nulli catholici tanto odio erant quanto Iesuitae. Numquam respiciebant Iesuitarum per saecula mutata esse officia: Nunc erant viri docti et missionarii et novarum rerum percupidi. In America Meridiana e.g. Indianos contra alborum vim defendebant. De his rebus protestantici et liberales Helvetii aut nihil sciebant aut, quod verisimilius est, nihil scire volebant.

Eis hoste opus erat vel capro emissario.

(Relationis pars altera in proximo libello sequetur!)

Martin Meier

## SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino IX fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Max S.Müller-de Vries Chapfstr. 394 8214 Gächlingen	Orestes Carbonero Corso IV Novembre 9 I-15100 Alessandria	Hans Haselbach Hinterdorf 23 9442 Berneck

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	C	O	N	S	E	C	U	T	U	S		
9	O	B		10	I	L	I	T	H	Y	I	11
12	G	L	13	A	D	I	O		E		L	T
14	N	I	M	I	S		15	F	R	U	O	R
17	O	D	A	S		18	T	E	O	S		A
19	S	I	T		20	M	U	R	M	U	R	E
21	C		22	I	D	U	M	A	E	A	S	
24	25	E	S	S	E	S		26	M	D	L	27
28	R	E		29	N	A	R		30	O	I	31
32	E	U	D	A	E	M	O	N		33	N	O

Ecce solutio aenigmatis libelli 1/98:

1	M	I	C	H	I
2	I	N	E	A	S
3	C	E	R	E	S
4	H	A	E	M	O
5	I	S	S	O	S

1. pronomen personale (Dat. sg., Latine aetatis mediae)
2. intres
3. dea Romana
4. mons in Thracia situs (Dat.)
5. ubi Alexander Magnus Persarum regem Darium vicerit (nomen Graecum)

Daniel Weissmann

## Facete lepideque dicta

Fridericulus parvus patri: "Num in Tirolia anthropophagi vivunt?" Pater: "Nullo modo, mi fili! Quisnam tibi has narravit stultitias?" Ad quae filiolus: "In actis diurnis hodie legi: 'Tirolenses imprimis turistis (sive itinerantibus) vescuntur'."

Rusticus quidam die Dominica medico veterinario telephonat. Qui indignans: "Bene scis, inepte, me diebus Dominicis non laborare!" Tunc rusticus: "Equidem scio, domine doctor, sed vacca mea nescit."

Periegeta gloriatur: "A nostra turri sacra prospectus specialiter latus est." Turista interrogat: "Quo igitur spectari potest? Num usque Francogaliam?" - "Latius!" - "Num usque Hispaniam?" - "Immo latius, domine: usque ad lunam spectare potes!"

"Carina, sitio." - "O, statim tibi poculum aquae feram, carissime!" - "Dixi: Sitio. Non dixi: Sordidus sum!"

Medicus mulieri nuper sanatae: "Nonne medicamen meum adiuvit?" Tunc mulier: "Immo optime adiuvit: Tergum meum non iam dolet, liberi non iam tussunt. Et ea medicaminis parte, quae superfuerat, maritus meus autocinetum robigine liberavit."

Sponsus inebriatus amicis: "Pignore certemus: Crastino die ante aram parochi interroganti certe 'non!' respondebo. Si non, dolium cerevisiae vobis dabo."

Proximo autem die bene mane verborum eum paenitet atque e parochi quaerit, quid in hac re faciendum sit. Dicit se neque dolium cerevisiae amittere neque sponsam suam fallere velle. Parochus autem: "Quiescas velim, mi fili. Omnia bene evenient."


Postea dum caerimoniae nuptiales exhibentur, parochus sponsam interrogat: "Maria, visne Carolum hic praesentem maritum tuum accipere, amare, magni aestimare, donec mors vos separaverit?" Maria: "Certe volo." Tunc parochus ita continuat: "Et tu, Carole, num quid contra habes?" Et Carolus magna voce: "Non!"

"Maximiliane, cum domum tuam praeteream, semper fenestras vestras optime politas admiror. Certe tibi est uxor strenua." - "Certe strenua est: iam brevi post nuptias me fenestras purgare docuit."

Martin Meier



# ALEA IACTA




I) castigat ridendo mores - exsultas. II) fac iter - quosdam ad scientiam, quosdam ad insaniam deduxere - obscuro. III) plaga - aut fatuum nasci oportere, aut ... - condimentum. IV) aedificium, quo senatus convenit - pronomen - impressi urbem aratro designant. V) emendi cupidus - coaxat vel blaterat - non gravi. VI) perniciose - celerius - quinquaginta.

A) albo lapillo notatus - mucro - apud infantes syllaba iterata ad patrem designandum. B) humanum est - persona ore mire deformi - Q. Curii cognomen. C) praepositio - pronomen - gladius (piscis) - unus. D) opali genus - inquis - elephantum terret. E) perdere operam et ... - Romae tres sunt: senatores, equites et plebeii. F) panem et ... - furor brevis.

1) superat vires - frustum. 2) glu capiuntur - verum - pronomen - praepositio. 3) propter - secundum maritos tacita est melior quam loquens et recte olet, ubi nihil olet - Aegyptiaca dea. 4) comica esse potest - Tarracenses - flumen (dat.). 5) a Daedalo confecta - vigil, satelles vel Cerberus - tempus anni. 6) sedes regia (gen.) - urbs in Achillea patria.

## Dialogus secundum Plautum

Parasitus	Ne hercle operae pretium quidemst Mihi te narrare, tuas qui virtutes sciam. Venter creat omnis hasce aerumnas: auribus Perhaurienda sunt, ne dentes dentiant, Et adsentandumst quidquid hic mentibitur.
Miles gloriosus	Quid illuc quod dico ?
Parasitus	Tabellas vis rogare. Habeo, et stilum. Novisse mores me tuos meditare decet Curamque adhibere, ut praeolat mihi quod tu velis.
Miles gloriosus	Ecquid meministi ?
Parasitus	Memini: centum in Cilicia Et quinquaginta, centum in Scytholatronia, Triginta Sardis, sexaginta Macedones Sunt homines quos tu occidisti uno die.
Miles gloriosus	Quanta istaec hominum summast ?



Alea completa parasiti responsum facile invenies. Adde primum literas rationales, quae component areas  $\alpha$ ,  $\beta$  et  $\gamma$ . Deinde ratio est:


$$2\gamma + \beta + \frac{\alpha}{4} + I$$



Stella GITTA

## Res variae et mirae de bestiis

### Interdictio volandi apibus



In vico in regione superiore pagi Bernensis Helvetici sito nomine 'Grindelwald' signum viae collocatum est, quod apibus per quandam regionem volare interdicat. Valde quidem dubium est, quin insecta mellifera hoc signum recte intellegere possint; sed id parvi momenti est. Nam apiarius, qui illud signum ipse confecit, certe non apinas prohibere voluit, ne ad flores volent, sed viatores monere, ut apes circumvolantes caverent. Sed forma signi rem in contrarium vertit et nolens

efficit, ut pro adhortatione viatorum interdictionem apibus significet.

### Simii cafeum therotrophii visitantes



Cum pabuli cottidiani eos taedere visum est, duo simii e therotrophio urbis Cordobae in Argentina septentrionali sitae effugerunt, ut in cafeo propinquo illa crusta, quae Francogallice 'Croissants' dicuntur, pranderent.

Ut urbis magistratus nuntiaverunt, Silvio et Coco effugerunt, cum porta caveae breve tempus aperta esset, et per therotrophium ambulabant.

Cum cafeum therotrophii praeterirent et nonnulla crusta relicta viderent, ibi ad prandium considerunt. Sed breve erat gaudium: Mox curatores bestiarum eos circumvenerunt. Coco manum curatoris tenens in caveam reduci potuit. Silvio autem renitens verum 'spectaculum simiorum' (quod nostra lingua 'Affentheater' dicitur) edidit, et siphonarios vigilesque publicos advocari oportuit. Tandem veterinario simium ferocem iniectorio narcotico sedare successit.

## Ecclesiae catholicae praeferuntur...



In re publica Hibernia imprimis a catholicis incolis habitata secundum studia scientifica vespertilio-nes frequentiores in ecclesiis catholicis quam protestanticis versantur.

Ut actis diurnis Britannicis 'Custos' (Anglice: Guardian) nuntiatur, investigatrix vespertilionum peritissima Hibernia nomine Kate Aney ex anno

1985° id cognovit consuetudines illorum generum, quae in ecclesiis nidos faciunt, inquirens. Vespertilio-nes auribus longis (Plecotus auritus) imprimis in ecclesiis catholicis, vespertilio-nes nomine 'Natterer' solum fere in ecclesia anglicana Hibernia inveniebantur. Quae separatio minus religione quam modo ecclesiarum aedificandarum explicatur. Vespertilionibus auriti prope contignationem ligneum tectorum lapide sectili opertorum versari magis placet, cum vespertilio-nes nomine 'Natterer' ampliora loca aditum ad parietes lapideos praebentia praeferant.

### Gorilla renitens

Gorilla indignabundus in Urbe Lacus Salsi (Salt Lake City) profectionem aëroplani societatis 'Delta Air' cum 82 vectoribus impedivit. Simius ponderis 223 chiligrammorum in compartimento, quo onera transportanda posita erant, tam vehementer saevivit, ut aëroplani gubernator avolaturus aera carpere non potuit. Gorilla 17 annos natus nomine 'Vip' in cavea ex aluminio constante Bostona (Boston) ex urbe in therotrophium Seattli (Seattle) urbis traducendus erat. Post iter duodecim horarum Vip(em) itineris taedere et pigere visum est. Bostonae curatores simio medicamentum sedativum dederant, quod propter moras improvisas in itinere vim non iam habebat.

Noctem Vip in therotrophio Urbis Lacus Salsi egit. Postea vector volandi pertaesus autocineto onerario Seattlum transportatus est.

(Fons: Acta diurna Bernensia 'Der Bund')

Daniel Weissmann



# De Catto nigro

(Fabella Edgarii Allani Poe in Latinum conversa)

## Pars prima

### Praefatiuncula translatoris

Fabellae horridae a nemine umquam melius narratae mihi esse videntur quam ab Edgario Allano POE (1809-1849). Qui res formidulosas tam perfecte describit, ut, quicumque fabulam eius legere coeperit, non possit, quin perlegat horrore perfusus atque exspectatione suspensus.

In fabella hic Latine reddita auctor narrando personam induit homicidae mente capti, qui moriturus in carcere referat, quomodo ipse natura mitis et clemens effectum ebriositatis paulatim delapsus sit in insaniam atque saevitiam morbosam. Cum scelus atrox commiserit, lento pectore et mira cum prudentia occultat vestigia eiusdem. Quod est tam perfecte absolutum, ut numquam emanaret, nisi maleficus furore gloriandi coactus ipse se proderet. Heus argumentum horribile. At quam apte, quam concinne auctor describit commotiones animae humanae. En artificem! Sescenti eum imitati numquam assecuti sunt.

Itaque Arthur Conan Doyle, illustris ille narrator fabularum indagatricum, facit haec fere verba: "*Si omnis auctor, qui acceperit honorarium fabellae, cuius originem debet Edgario Allano Poe, decimam partem daret ad monumentum artificis exigendum, pyramis fieret tam alta quam illa Cheopis.*" (cfr. Walter Lennig, 'Edgar Allan Poe in Selbstzeugnissen und Bilddokumenten', Hamburg, Rowohlt, 1973, p. 170).

'Cattus niger' primum publicatus est in commentariis, qui inscribuntur 'United States Saturday Post', a. 1843. Usus sum editione Davidi Galloway (Edgar Allan Poe, The Fall of the House of Usher and other writings, Poems, Tales, Essays and reviews, Penguin Books, Harmondsworth, Middlesex, 1985, p. 320-329).

Iam aliam fabellam Edgarii Allani in Latinum converti (Vox Latina, Fasc. 95, 1989, p. 68-73, Ranunculus, i.e. Hop-Frog). Censeant censores aequi, num convenienter reddiderim verba narratoris ingeniosi.

Nicolaus Gross

Fabellam crudelissimam sed maxime domesticam, quam scripturus sum, creditum iri neque exspecto neque expeto. Profecto delirarem, si hoc exspectarem, in re, ubi sensus mei veri reiciunt evidentiam suam propriam. Tamen, non deliro - et certissime non somnio. Sed cras moriturus hodie conscientiam meam exonerare velim. Id enim mihi proposui, ut

plane et succincte, nulla adnotatione subiuncta, hominibus panderem seriem eventuum mere domesticorum. Qui eventus rebus sequentibus me terruerunt, torserunt, destruxerunt. Sed non conabor eosdem animo expendere. Mihi quidem idem attulerunt vix quicquam nisi horrorem - multis aliis videbuntur minus terribiles quam mirabiles. Postea fortasse intellectus quidam invenietur, qui phantasma meum repetat e re usitata - intellectus quidam tranquillior, sagacior, qui sit multo minus irritabilis quam meus proprius et percipiat circumstantiis, quas timide singillatim referam, nihil subesse nisi successionem solitam causarum atque effectuum valde naturalium.

A pueris dicebar indolis esse docilis clementisque. Teneritas animi mei tam conspicua erat, ut a sodalibus illuderer. Cum in deliciis mihi essent bestiae, parentes mihi concesserunt, ut mihi compararem multa atque varia animalia domestica. Una cum iisdem tempus terebam et numquam tam laetus eram quam in iisdem cibandis et mulcendis. Haec peculiaritas indolis meae augebatur me adolescente meque adultum plurimum delectabat. Iis, qui affecti sint amore canis alicuius fidelis atque sagacis, vix a me studendum erit explicare, qualis et quanta sit voluptas inde exorta. Caritatis gratitae atque devotae, quae a bruto animali proficiscitur, inest aliquid animi commovens hominis, cui saepius evenit, ut probaret hominum vilem amicitiam et vanam fidelitatem.

Mature muliere in matrimonium ducta gavisus sum me invenisse mulierem, cuius indoles non dissimilis esset meae propriae. Cum eadem observasset me domestica animalia in deliciis habere, nullam occasionem praetermittebat, quin animalia generis gratissimi compararet. Fuerunt nobis aves et pisces aurati et canis bellus et cuniculi et parvus simius et - cattus. Quorum postremus fuit bestia stupendae magnitudinis atque pulchritudinis, prorsus niger et mirum quantum sagax. Uxor mea quadam superstitione imbuta, cum de intelligentia eius loquebatur, alludebat ad antiquam fidem popularem, qua omnes feles nigrae dicuntur esse saganae occultae. Non dico eam semper serio de hac re locutam esse - et commemoro hanc rem nulla alia causa quam propterea, quod nunc recordor. Pluto - qualis vocabatur cattus - erat animal domesticum meum omnium gratissimum et sodalis lusorius. Nemo nisi ego eum cibabat; is attendebat ad me, quousque domum relinquebam. Difficile mihi erat eum inhibere, ne me sequeretur per vias.

Hoc modo amicitia coniuncti eramus per nonnullos annos, quibus ani-

mus et mores mei - effectum diabolicae ebriositatis - (erubescere hoc confitens) - funditus mutati sunt in malam partem. Factus sum in dies morosior, irritabilior, minus respiciens sensus aliorum. Placebat mihi cum uxore loqui sermone intemperato. Denique ei vim attuli. Scilicet animalia mea domestica sensisse habitum meum mutatum. Non solum eadem negligebam, sed male utebar iisdem. Plutonem autem adhuc plus respiciebam quam ut ei malefacerem, sicut sine scrupulo malefaciebam cuniculis, simio vel cani, cum idem forte vel affectu in me inciderant. Sed morbo meo superatus sum - qui morbus est similis ebriositati! - et denique etiam Pluto, qui interim consenescens paululum morosus erat factus, - etiam Pluto coepit experiri effectus animi mei insani.

Nocte quadam domum reversus in uno e gurgustiolis meis veneno imbutus, animo finxi cattum me vitare. Secutus sum eum; tum is violentiam meam timens dentibus parvum vulnus inflixit manui meae. Statim obsessus sum furore daemonis. Ipse me prorsus non iam noveram. Anima mea originalis subito visa est e corpore meo volare; et malevolentia peiore quam diabolica, spiritu iuniperino nutrita, omnis fibra corporis mei excitata est. E sacculo colobii mei sumpsi scalprum librarium; quo aperto gutture miserae bestiae apprehenso, exsecui alterum ex eius oculis. Erubescere, ardeo, horresco, cum describo atrox hoc factum damnabile.

Postquam postridie mane resipui - crapula nocturna edormita - expertus sum partim horrorem partim paenitentiam, sceleris causa, quod commiseram; sed hic sensus ad summum fuit sensus exiguus ambiguusque, ut anima mea remaneret intacta. Iterum modum bibendi excessi, ut mox omnem memoriam facinoris vino demergerem.

Interea cattus lente reconvaleuit. Cavum oculi amissi aspectum praebuit horrificum, sed cattus non iam diutius visus est dolere. Qui domum circumitabat ut antea, sed, sicut exspectetur, me appropinquantem fugiebat summo terrore correptus. Tantulum animi prioris mihi erat relictum, ut primum contristarer hac aversione manifesta creaturae, quae olim me tantum dilexerat. Sed hic sensus mox recessit irritationi. Tum autem - quasi per interitum meum finalem et irrevocabilem - venit *spiritus perversionis*. Qui spiritus a philosophis non respicitur. At non certius scio animam meam vivere quam scio perversionem esse unam e primariis facultatibus individuus vel sensibus, quibus mores hominum dirigantur. Quis nondum centies animadvertit se facinus aliquod vile aut stultum nulla alia causa commisisse quam eo, quod scivisset hoc esse non licitum?

Nonne adversus iudicium nostrum optimum semper inclinati sumus ad id violandum quod est ius, quippe qui intellegamus id tale esse?

Qui spiritus perversionis, inquam, venit ad interitum meum finalem. Fuit istud animi desiderium inexplicabile se ipsum vexandi - propriae naturae vim afferendi - peccandi sola peccandi causa - quo urgerer, ut continuarem et denique consummarem iniuriam brutae bestiae mansuetae inflictam.

Mane alicuius diei lento pectore laqueum inieci cervici catti eundemque e ramo arboris suspendi, - suspendi eum lacrimis ex oculis manantibus et animo paenitenti - suspendi eum, quia scivi me ab eo amatum esse et quia sensi mihi nullam causam offendendi attulisse - peccatum mortiferum, quo anima mea immortalis ita in periculum vocaretur, ut - si hoc fieri posset - poneretur extra captum gratiae infinitae Dei maxime misericordis maximeque terribilis.

Nocte eius diei, quo hoc scelus crudele commissum erat, excitatus sum, cum incendii causa conclamatum esset. Vela lecti mei iam arserunt, tota domus flagravit. Magna cum difficultate contigit uxori et famulo et mihi ipsi, ut incendium effugeremus. Domus funditus destructa est et omnis possessio mea saecularis absorpta, ut me dederem desperationi.

Nicolaus Gross  
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars altera in proximo libello sequetur!)

## Dicta factaque veterum

Herostratos, cum templum Dianae Ephesiae anno 356° eadem nocte, - quod dicitur - qua Alexander Magnus Mecedo, filius Philippi II Olympiadisque, filiae Neoptolemi regis Epiri, natus est, incendio delevisset, id fecisse est visus, ut nomen suum ab oblivione vindicaretur; quae spes eum re et veritate non fefellit. In quaestione ac tormentis iudicii professus est, et Ephesii decreverunt, ut infandum illud nomen Herostrati in omne tempus sit execratum. Iudicium autem illud consideratum est aliquamdiu, sed denique Theopompus Chius, filius Damasistrati, nomen Herostrati detexit et ab eo acciperunt nomen infandum Claudius Aelianus Praenestinus et Gaius Iulius Solinus atque Strabo Amasius.

Diogenes Sinopeus Cyon, filius Hicesiae, cuius sepulcrum postea ornatum erat statua canis, nescio cui tyranno interroganti, quod aes ad statuas faciendas aptissimum esset: "Dubito an aptissimum sit", inquit, "illud, ex quo statuae Harmodii et Aristogeitonis factae sunt."

Phalaris, tyrannus ille crudelissimus Agragantinus (Agrigentinus; 570-554), iussit taurum aheneum construere et Agrigento in oppido statuere. Perilaus seu Perillus quidam mandatum Phalaridis peregit et sedulo atque ilico taurum illum aheneum fabricatus est. Sed in hoc tauro Phalaridis tyranni Perillus ipse, qui illum construxerat, primus tostus est.

Otus Ephialtesque, fratres filii Poseidonis Iphimediaeque, si fabulis fidem adiungimus, ut in Olympum, deorum dearumque sedem, ascenderent, Pelion montem in Ossam montem imposuerunt.

Lucius Mummius Achaicus, cum Corinthum, urbem Graecorum longe opulentissimam, delevisset, ipse nihilo divitior erat quam antea.

Cum imperator Lucius Domitius Ahenobarbus Nero Claudius Caesar Augustus, filius Gnaei Domitii Ahenobarbi Iuliaeque Agrippinae minoris, quondam gravedine laboraret, Romae publicae supplicationes habitae sunt pro angusta eius voce, quae cum per se iam admodum exilis esset, tum vero plane erat obtusa.

Rex aliqui, cum quidam regibus omnia honesta et iusta esse ei persuadere studerent, respondit: "Barbarorum quidem regibus!"

Pythagoras Samius, filius Mnesarchae, omnibus temperantiam ut parentem virtutum commendabat gravitateque dicendi hoc consecutus est, ut matronae omnia dignitatis decora ut instrumenta luxuriae ponerent.

Mausoleum, quod vocabatur, Halicarnassi in Caria Artemisia, filia Hecatomni Mylasei, ad memoriam Mausoli, filii Hecatomni, fratris et mariti exstruere iussit ab architectis sculptoribusque Satyro, filio Isotini Parii, atque Pytheo.

AMICUS



## De Chlodovici votis

Chlodovicus, Francorum rex, contra Alamannos pugnans vota vovit se Alamannis victis fidem Christianam accepturum esse.

His rebus factis Lutetiam se contulit et reginae, uxori suae, de victoria votisque narravit.

Regina clam sanctum Remigium, Remensis (1) urbis episcopum, arcessi iubet eumque deprecatur, ut regem verbo salutis erudiat.

Sacerdos Chlodovicum docebat credere Deum verum idolaque neglegere. At ille: "Libenter te", inquit, "audiebam, sed populus (2) non patitur me deos suos relinquere. Tamen loquar cum eis secundum verbum tuum."

Sed cum convenisset cum suis, omnes, priusquam rex loqueretur, clamaverunt: "Deum immortalem, quem episcopus praedicat, sequi parati sumus!" Remigius magno gaudio motus sanctam lavationem praeparari iussit. Rex autem petivit, ut prior baptizaretur. Proceedit Chlodovicus ad sanctum lavacrum (3). Tum Remigius: "Depone collum, rex, adora, quod incendisti, incende, quod adoravisti." Ita rex baptizatus est. Et amplius tria milia militum eius simul baptizati sunt.

secundum Gregorium Tolosanum (4)

- 1) Remens: Reims
- 2) populus: = comitatus
- 3) lavacrum: = baptisma
- 4) Gregorius Tolosanus: Grégoire de Tours. Sexto p.Chr.n. saeculo vitam egit. Nobilis generis erat, ab avunculo Gallo episcopo educatus ipse episcopus Tolosae factus est. Haud pauca opera redegit velut 'Historia miraculorum Sancti Martini', 'Vitae patrum', 'Historia ecclesiae Francorum', quae est fons unica temporis eius. Gregorius apud reges gratia multum florebat. Salus Tolosae urbis ei magnae curae erat.

Barbara Maier



P. OVIDIUS NASO. **Metamorphoses selectae. Rubricastellanus composuit, Martin Frei pinxit. Ernst Klett Schulbuchverlag, Stuttgart 1996. 56 p. ca. CHF 24.00.**

Temporibus nostris nequaquam dedecet discipulas et discipulos non modo scriptis vel carminibus nudis imbuere, verum etiam imaginibus et delectare et instruere, ut tamquam crustulis incitati prima elementa linguae Latinae libenter discere velint. Qua de causa magistrae et magistri merito illis libris interdum uti solent, qui nubeculis ornati iuventuti quamvis matura non displicere videntur. Volumen novum, quod Ovidii Metamorphoseon partes selectas continet, tam docendis quam docentibus satis oblectationis praebebit. Fabulae celeberrimae illius operis celeberrimi proponuntur: Tres aetates, Apollo et Daphne, Battus, Narcissus et Echo, Pyramus et Thisbe, Niobe, Lydii coloni, Daedalus et Icarus, Philemon et Baucis, Orpheus et Eurydice, Midas.

Fabellas elegit, compilavit, nubeculis instruxit Rubricastellanus – quisnam Asterigis rerum gestarum interpretem nescit? – sed ita instituit, ut versibus ipsius auctoris subscriptis partim quidem perlegi possit, quomodo poeta voce sua formas mutari voluerit (sed nota quosdam errores: *fugas* pro *fugis* etc.). Ne despexeris tale inceptum! Imagines enim a Martino Frei lepide et diligenter depictae acta, personas, affectus ante oculos ponunt et insuper vestimenta, supellectilem, aedificia, templa, statuas, sepulcra necnon illos triumphos Romanos, quos Phoebus divinatione prospexit (Met. 1,560 sq.).

Libellus carmine de aetate pessima, i.e. atomica, quod Ovidius in caelo conscripsit, facete finitur. Sed ille poeta, cui «sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos» (Trist. 4,10,25), artis suae interim prorsus oblitus esse videtur. Manu parum felici versus composuit, quos ne Ennius quidem non barbaros putasset: Prosodiae leges negleguntur, caesurae vel claudicant vel omnino desunt, hexametrorum fines vocabulis IV vel V syllabarum vel, horribile dictu, paribus duplicum consuti sunt! Attamen assentiamur Nasoni nostro: «Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas».

Bruno W. Häuptli.

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----  
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann  
publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH-8400 Winterthur

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

PP/Journal

4702 Oensingen

2/98

IDIBVS IVNIIS

MCMXCVIII



RVMOR VARIVS



TOMVS 21

FASC. 123